

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumato-graphia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput XIX

urn:nbn:de:bsz:31-97032

CAPUT XIX.
DE P A P I L I O N E
& P O L Y P O .

Papiliones post Augustum coeunt, & moriente post copulam masculino, foemina ova parit editisque moquitur. Per hyemem quomodo conserventur, vix à quaquam præter *Aldrovandum de insectis* proditum. Hic autem cum à rusticis quæreret; responsum accepit: folia papilionum feminibus gravida, cum terra vomere scinditur, hujus recondi visceribus, teporeque foveri. Existimat tamen illa tantum conservari, quæ in cavitatibus corticum arboris reperiuntur; quæ in foliis, eodem anno vivificari. *Et revera, addit Aldrovandus, ova observavi edita, sub chamaefici foliis, ex quibus sub finem Augusti erucula sponte erumpebant. Erant autem tenui involuta lanugine, ne ab ambiente lederentur, ipsa vero erucula decedentes terra non illidebantur, sed tenuissimo admodum filo more aranci appensa in aère remanebant. Cum sub foliis pariunt, ita ea plicant, ut imbres nocere non possint, & quasi sub tecto quopiam ea reponunt. Observavi item bis erucam, quam inter brassicam ceperam, primo parere ova lutea, tenui involuta etiam lanugine, iisque editis, in Chrysalidem commutari, eisdem, quo illa fuerat, coloribus, luteo, viridi & nigro, & quod mirum mihi videbatur, ex iis ovis volucra erumpere animalcula adeo exgua, ut visum fere subterfugerent, qualia scilicet in vesicu ulmorum reperiri solent. Nonnunquam nimia luxuriantes copia, aëris indicant perniciem. Anno 1562 volabant in Belgio prope aquas, ea frequentia, ut cursum fluminis obscurarent, potissimum post occasum Solis; hinc sese sub noctem referentes, per vicos velut instructis copiis vagabantur, nihil fere à tineis differentes. Illum autem annum tempestuosissimum fuisse *Cornelius Gemma* testatur. Polypi temporis processu, in tantam ascendunt magnitudinem, ut Cetacei generis esse videantur.*

deantur. In interaneis illorum, neicio quid turbinatum est, quod cordis vel hepatis naturam habere dixeris, sed protinus diffluit & dissolvitur. Oleæ sunt amantissimi. Nam si ramus in mare, in quo sunt, demissus & detentus fuerit, haud pauci circa ramos impliciti capiuntur. Ficubus ad mare natis fixi, fructumque mandentes, deprehenduntur interdum. Locustis etiam mirifice delectantur, cujus rei testimonium apud *Petrum Berchorium* luculentissimum invenitur. *Audrvi*, inquit, narrari, quod piscatores in mari Provincia, in littore super carbones locustas decoqui posuerant, & cum circa ignem dormirent, ecce unus *Polypus* odore locustæ tractus, de mari exit, & ad ignem veniens, ac cum pede locustam accipere volens, sed calorem ignis timens, ad mare rediit, & quandam tunicam quam loco caputii habet super capus, aqua implens toties eundo & redeundo, super ignem projecit, ut ipsum extingueret, & sic locustam accipiens secum ad mare devulisset, nisi unus de piscatoribus, qui hoc videbat, ipsum accepisset, & loco locustæ super carbones comedendum posuisset.

C A P U T XX.

D E P E D I C U L O
& P U L I C E.

Pediculos quidam ex carne gigni existimant, & sanguine nonnulli. At falsum utrumque. Nam primo in cute capitis nasci, in secunda & tertia helicæ specie abundare scimus; cum tamen & ibi minima sit carnis portio, & hic maxime consumantur. Deinde in febribus putridis, nullus illorum proventus est, & orta principiis suis attestantur. Has non attestari sanguini, coloris ostendit ratio. A materia igitur putrida calida & humida, quæ in cute redundat, orti quibusdam videtur, in locis distationi non patentibus. Deferere mortuos experientia docuit, vel quia defuncti extincto calore refrigeratur sanguis; vel quia frigidus mor-